

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Disputationes Chirurgicæ Selectæ

Haller, Albrecht von

Lausannæ, MDCCCLV.

VD18 90538889

LVII. Dissertatio Medica, De Anevrysmate Vero Pectoris Externo
Hemiplegiae Sobole.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16577

L V I I.

D I S S E R T A T I O

M E D I C A,

D E

A N E V R Y S M A T E V E R O P E C T O R I S

E X T E R N O H E M I P L E G I A E S O B O L E

Quam tuebatur

J O H. J A C O B. W E L T I N U S,

F O R O - T I B E R I E N S I S,

Basileæ 18 Augusti 1750.

D d d d 3



P A Y E
D I S S E R T A T I O
M I C H A E L I C A
A N D R E A S
E X M U R R A
L O H I A C Q U A
P O Z O T A V A N I
C O D E



HISTORIA MORBI.

Vixum rusticum 45. annorum aetatis, Jacobum Jäger, Breitenbacensem, ex ditione Helvetiorum Solodurensi, alias sanum, vegetumque, iter forte facientem, inopinato hemiplectico prehendit insultus; in quo amissis sensibus, loqua, nec non motu, & pedis, & manus dextra, voluntario privatus, oculos tamen apertos, os vero quam vehementissime clausum ostendit, immo in latere sinistro, aliquales apparuere motus convulsivi, postlimino tamen omnium functionum compos redditus, in presentiarum tam in manu, quam in pede, & sensus & motus facultate satis pollet. Verum tamen post paucos, à paroxysmo hemiplectico interjectos dies, sine ulla alia causa violenta pregressa, enatus est tumor jani describendus. Intumescentia sc. admodum notabilis occupat locum, 3. aut 4. digitos transversos infra claviculam situm, circa quartam circiter costam veram, immediate sub integumentis, & supra musculum pectoralem majorem sinistri lateris occurrentis, tribus quasi tuberculis constans; quorum primum statim à latere sinistro sterni, parte ejus media, mole nucis juglandis circiter, figura prope globosa, cuti concolor, & pressioni cedens adparet, cum pulsū vehementissimo, & ad pressionem digitii graviter invalecente, cum arteriæ in carpo aliarumque pulsū synchrono. Secundum, magnitudine primum aliquanto superans, figura globum quasi compressum emulatur, & spatio unius probe digitii ab illo remotum, magis versus exteriora occurrit, cum pulsū aque violento, & ceteris arteriis plane synchrono. Tertium, dimidio minus precedentibus, ad costam tertiam veram sedet, paulo supra tuberculum primum, ad marginem quoque sinistrum sterni, haud longe ab articulatione claviculari cum sterno distans, quoad pulsū prioribus haud absimile. Spatum tribus his tuberculis interjectum paulo est depresso, digito interjecto aque cedens, & fortissime pulsans. Si unum, aut plura horum, manu vel digitis applicatis comprimantur, vir dolorem cum molestia anxietate, & fortiore accidente pressione, fere intolerabili, ac imminentे lipothymia percipit, prefertim si supra tumorem, & ex opposita dorsi parte, manu injecta, utrinque pressio adhibetur. Situm supimum non facile tolerat, in latere sinistro, qua parte tumor est, non sine molestia, in dextro autem, paulo commodius decumbit. Celeriter motus, aut per loca acclivia adscendens, cordis palpitacionem & dyspneam notabilem patitur. Ceterum aliqua capitū vertigine, & lingue balbutie, inde ab hemiplegia insultu relicta, laborat: ac fascie, habituque corporis, cachecticā labiā speciem praefere videtur.

ANALY.



ANALYSIS PATHOLOGICA

§. I.

UT pleraque morborum nomina à Græcis manarunt, sic aneurisma; *Ανεύρυσμα*, ejusdem originis vox, ex *ἀνά* retro, rursum, & *εὐρύνω*, dilato, composita, idem sonare videtur, quod apud Latinos, *arteria dilatatio*, vel *tumor ex arteria dilatatione causam trahens* [a]. Minus eorum etymologia se probat, qui *ἀνεύρυσμα απὸ τῆς νεύρας*, & a privativo derivantes, per *enervationem* interpretantur: siquidem enervatio potius debilitatem circa tendines & nervos, quam vitium arteriæ designare solet [b].

§. II.

Galenο *ἀνεύρυσμα* dicitur, arteriæ dilatatio, quæ fit ore in arteria ex vulnere facta, quod nec mature obductum, conglutinatum, aut carne coniectum fuit [c]. Item *ἀνεύρυσμα*, dilatatio, quæ referatis arteriis fit, cute integra, ac conglutinata [d]. Est & *ἀνεύρυσμα*, Φλεβώδης *ἄγγεις* *ἀνεύρυσμός*, ἡ πνευματικῆς ύλης *ἀνασπερὰ* ὑπὸ τῆς σάρκος κατὰ διαπήδησιν *αναδιδομένης*: hoc est, venosi valis dilatatio, aut spirituose materiæ per subsultum distributæ, sub carnem dispersio [e]. Gorreο aneurisma definitur, tumor tactu blandus, cedensque digitis, à sanguine & spiritu, ab arteria, aut vena, profusis, excitatus [f]. Jonstono, tumor ab arteriæ tunicae interioris apertione, exterioris dilatatione, exortus [g]. Barrette, tumor p. n. continuo pulsans, digitis facile cedens, at iterum ilico se extendens, ab arteriarum interioris tunicae ruptura, & exterioris dilatatione [h]. Mihi aneurisma dicitur tumor, ex dilatata, vel quocumque modo diffoluta arteria, ortus, sanguine turgidus, variae magnitudinis, diversique coloris. Pulsus non addo, quia non est perpetuum & inseparabile phænomenon, quod in omni aneurismate semper occurrat: nam in spurio vix unquam pulsus deprehenditur, & in vero, si sanguis, ut sæpe fit, in eo coaguletur, aut hic tumor callum contrahat, tunc

[a] Vid. Gorri. Def. Med.

[b] Vid. Steph. Blancardi Lex. Med.

[c] Lib. De Tum. p. n. p. 356. 27.

[d] Vid. Rob. Steph. Thef. Ling. latin. ed. Baf.

[e] Aut. Def. Med. p. 400. 43. Eginet. L. VI. 37. Foes. Oeon. Hipp. p. 59.

[f] Def. Med. p. 36.

[g] Syntagma Med. p. 548.

[h] Chirurg. p. II. L. I. c. 16.



tunc nulla amplius percipitur pulsatio, ut observationum monumenta sa-
tis superque testantur [i].

§. III.

Aneurisma dividitur in verum, & spurium: quorum prius definitur per dilatationem arterie naturali majorem, ita ut vi sua elistica ad natu-
ralem se se constringere amplitudinem impotens, praeter solitum extensa
maneat modum, & sic tumorem mentiatur, plus minusve magnum, plus
minusve, aut plane non pro ratione magnitudinis & durationis pulsantem,
plerumque ejusdem cum cute coloris. Hinc videmus, non posse accura-
tam aneurismatis veri molem determinari, sicut quidam afferere voluere,
nunquam castaneæ magnitudinem excedere [l]; dum observationes plu-
rimæ contrarium testantur. Posterior vero, quod veteribus *ενχύμωσις*
dicitur [m], tum dēmum exsurgit, quando sanguis ex arteria, sive per
anastomosin, sive diapedesin, sive diæresin, aut quocumque alio modo,
in sua continuitate soluta, effusus in spatha cellularia, sub cute stagnat,
ibique collectus, tumorem, p̄o diverso statu sanguinis quiescentis, varie
coloratum, vix aut penitus non pulsantem excitat. Ab hac definitione
non longe recedit *Galen* descriptio aneurismatis, ita se habens: arteria
autem apertæ affectus aneurisma vocatur, fit autem, quum illa vulne-
rata, ad cicatricem quidem circumposita pervenit cutis, manet tamen
vulnus arteriae, nec coeuntis, nec cicatrice obductæ, nec carne obtura-
tæ [n]. Ex quo intelligitur, aneurisma verum posse haud difficulter in
spurium abire, quando aut ab impetu sanguinis, arteria sensim sensimque
ita extenditur, ut partes ejus nimis tandem à se invicem remote, imme-
diato contactu, & hinc cohæsione destituantur, aut sanguis stagnans tan-
tam adquirit acrimoniam, ut vasis substantiam arrodens, sibi ipsi efflu-
xum paret. Insuper aneurisma dividitur in externum, & internum: hoc
in vasibus, viscera, partesque in ventribus delitescentes, adeuntibus occur-
rit [o]: illud vero in arteriis versus partes externas, & imprimis sub
cute sitis, deprehenditur. Plures distinctiones hinc inde in autoribus chi-
rurgicis occurrentes, de industria omittimus.

§. IV.

Ex his præmissis non difficile erit determinare, qualis denominatio tu-
mori

[i] Vid. *Fr. Ruyscb.* Observ. anat. Chir. XXXIX.

[l] Vid. *Govey*, chirurg. p. 231.

[m] *Galen*. Meth. Med. L. IV. cap. I.

[n] De Tum. præter naturam. cap. XI.

[o] *Paracelsus* L. VII. c. 32. *Lancis De Cord. & Aneur.*



mori in casu nostro obvio competit: si enim omnes notæ characteristæ, in definitione aneurismatis veri recensitæ, examinentur, omnes tumoris nostro accurate convenire, patebit; immo pulsus cum arteriis cæteris synchronous, omnem tollit dubitationem. Etsi enim talis pulsatio non in quolibet deprehendatur, tamen ubi occurrit, manifeste aneurisma verum indicat. In spurio enim, quamquam interdum quoque adpareat pulsus, tamen nunquam adeo regularis invenitur: hinc jure intumescentiam hanc, aneurisma verum vocare licebit. Ideoque diutius huic questioni non immorabor, potius arteriam, sive locum aneurismatis nostri, quoad licebit, ostendere, dein ejus differentiam ab aliis tumoribus, diagnosin, aetiologiam, symptomatologiam, prognosin, & curationem, expedire conabor.

§. V.

Immediate ex definitione aneurismatis sequitur, in nulla corporis parte tale observari, nisi in arteria quadam sanguifera. Idem ergo tumoris nostro erit adPLICANDUM, & cum non minus in prognosi, quam curatione, haud parum intersit, partem affectam nosse, non inutile fore arbitror, hic, quantum possibile, indagare, qualis arteria fit lesa.

§. V I.

Musculus primus brachium moventium *Vesalii*, sive pectoralis major, qui anteriorem thoraci partem fere totus obtagit, ita ut à clavicula ad primam, interdum secundam costam spuriam, & ab os sterni ad os humeri usque extensus deprehendatur [p], varios ex diversis truncis accipit ramos arteriosos: primo quidem ex intercostali superiori [q], qui ramus modo ex aorta descendente, modo ex subclavia, rarius ex cervicali arteria natus, immo interdum ex arteria bronchiali proveniens, ad duo, tria intervalla costarum superiorum distribuitur, & ad musculum pectorale majorem, minorem, nec non ad involucra medullæ spinalis, plures alios surculos emittit [r]. Secundo arteriae intercostales inferiores, quæ ex trunco descendente aortæ exeuunt, per paria ad angulos plerique rectos [s], ad costarum oram inferiorem ingrediuntur, & inter duo strata intercostalium muscularum, ad anteriores usque cartilagineos costarum fines pergunt, ibi cum mammariarum internarum surculis conjunctæ observantur [t]: princeps cuiusque ramus ex media costæ fede, ad exterio-

[p] Anat. *Winslov.* p. 14. §. 183.[q] Hanc arteriam negat *Garengeotius*, *Splanch.* p. 347. sed abunde confirmant observationes *Halleri* & *Winslovi*.[r] Anat. *Winslovi* p. III. §. 107. & seq.[s] Vid. *Eustach.* Tab. XXVI.[t] *Ruyssch*, Epist. II. T. II. fig. 3.

teriores costis incumbentes musculos penetrat [u] : cæterum semper anastomoses subeunt, cum arteriis intercostalibus superioribus. Tertio mamma interna, ex arteria subclavia orta, descendit ad latus sterni, emitens plurimos ramos ad musculos intercostales, pleuram &c. prospicit quoque musculo pectorali majori, in cuius media parte variis anastomosis cum arteria mamma externa, cæterisque arteriis intercostalibus conjugitur [v]. Tandem mamma externa, seu thoracica superior, arteriae axillaris siboles, versus inferiora procedens, in varios distribuitur musculos, inter quos etiam pectoralis major, & minor, referendi. Et hæc sunt vasa arteriosa, quæ ad musculum pectorale majorem abeunt.

§. VII.

Nunc accurate demonstrandum esset, in quonam horum ramorum aneurisma nostrum sedem habeat : sed cum per §. VI. plurimæ arteriæ in hoc musculo sibi invicem per anastomoses committantur, & in ægo superflite non licet sectionem instituere, fere impossibile videtur, exacte ramum determinare ; probabilitate igitur contenti, existimamus, ramum ex intercostalibus inferioribus prodeuntem morbum alere : primo enim phænomena in historia morbi recensita, anxietas sc. & animi deliquium, ad pressionem paulo fortiorum, aut diutius durantem, adparentia, de proxima tumoris, cum visceribus vitalibus, vasisque majoribus, communicatione testantur. Quia vero arteriæ intercostales inferiores semper ex aorta proveniunt, hinc iis quoque propior cum visceribus vitalibus nexus intercedit, quam intercostalibus superioribus, quæ plerumque ex arteria subclavia, aut mammariis externis, vel internis, quæ semper ex arteria subclavia & axillari (§. VI.) nascuntur. Secundo decursus arteriarum harum idem evincere videtur, siquidem à posterioribus ad anteriora decurrentes, (§. VI.) emittunt ramos, qui ad angulum rectum, sive acutum, ex trunco, sicut plerique in machina nostra rami, egredientes, à posterioribus quoque ad anteriora per musculum distribuuntur ; aneurisma vero in ramo ita decurrente latere, ejus conditio indicat : tuberculum enim secundum ad exteriora situm, magnitudine superat primum, quod magis versus interiora, & tertium, quod ad interiora & superiora occurrit ; quia vero omnia tubercula in eodem ramo observantur, necessario maximum ad ejus basin, cætera minora potius ad apicem sita erunt. Hinc videmus, ramum in nostro casu quoque ab exterioribus ad interiora, sive à posterioribus ad interiora progredi debere ; & cum rami ex intercostalibus inferioribus nati, talem decursum teneant, vix dubium est, quin talis in aneurisma degeneraverit.

E e e 2

§. VIII.

[u] Enstach. Tab. XXIV.

[v] Anatom. Winsl. p. III. §. 90.



§. VIII.

Inquirendum nunc, per quænam signa aneurisma verum, ab aliis tumoribus distinguatur. A varice differt in eo, quod hæc sit tumor venæ sanguiferæ, in quo rarissime observatur pulsus: nec tumor pressus adeo facile evanescit, idemque magis adparet nodosus & nigricans: quin etiam *Lommo* testante, varici magis crura, quam cæteræ partes patent, maximeque in feminis, quæ utero gerunt, & in his, quibus soluta hæmorrhoidis, aut curata quartana est [a]. Etsi *Cesio* teste, & in capite, & in ventre, venuæ possint fieri varicosæ [b]. Ab edemate haud difficulter diagnoscitur, dum hic tumor deprehenditur mollis, non renitens, qui pressus digitorum vestigia aliquandiu retinet: cum e contrario aneurisma verum, multum resistat, & pressum cedat quidem, sed illico iterum restituatur. A tumore inflammatorio his notis discernitur: 1°. Hic tumor pressioni cum digitis, aut manu factæ, non facile cedit, aut totus evanescit, sed potius valide renititur. 2°. Tumor vehementer compressus, vix tolerandum excitat dolorem, dum aneurisma verum, à partibus vitalibus remotum, accidente pressione, parum creat incommodi, & prope ad vitalia situm, magis anxietatem, quam sensum dolorificum post se trahit. 3°. Hujusmodi tumor semper rubro colore ornatus est, dum aneurisma plerumque eundem cum cute colorem ostendit. 4°. Tumor inflammatorius nisi resolvatur, intra paucos dies in suppurationem, gangrænam, aut sphæcum abit, aneurisma vero diu sive sine his accidentibus potest tolerari. Quæ si quis omnia rite perpendit, facili opera tumorem inflammatorium ab aneurismatico dignoscet; quod eo magis necessarium videtur, quia maxima mala, immo mors ipsa consecuta legitur, ex eo, quod aneurisma verum pro tumore inflammatorio habitum, sinistre fuit curatum: quale exemplum recenset *Cl. Schenckius*, ubi chirurgus haud adeo peritus, aneurismati vero, nucis juglandis magnitudine, ad dearticulationem cum humero sito, existimans, esse tumorem inflammatorium, escharoticum applicuit, quo apertum, tantam sanguinis copiam fundebat, ut homo cito satis animam cum sanguine redderet [c]. A tumoribus cysticis distinguitur in eo, quod hi nascantur ex obstructionibus, vel in glandulis, vel in pinguedine, tum omni destituantur pulsatione, & pressi pro varietate materie contentæ, cedant quidem plus minusve, sed non in totum evanescant: in aneurismate autem omnia secus se habere, ex superioribus abunde liquet. Tandem qualis intercedat differentia inter aneurisma verum & spurium, ex §. III. sufficienter patet.

§. IX.

[a] Vid. *Jodoci Lommi Obs. Med. L. II. p. 28a.*[b] *De Medic. L. VII. cap. XXXI.*[c] *Observat. Lib. V. obs. 5.*

Inde diagnosis aneurismatis veri haud erit difficilis [d]: si enim in quacumque corporis parte adparet tumor cuti concolor, ad rotundam accedens figuram, qui leni adhibita pressione cedens, aut evanescit, aut plurimum minuitur, mox vero cessante pressione, ad pristinam redit magnitudinem, arteriarum more pulsans, ut cum cæteris arteriis pulsus sit synchronus, cui cause inferius recensendæ prægressæ fuerint, jure concludere licet, adesse aneurisma verum, sed potius recens, quam inventatum. In adulto enim, ubi latera sæpe observantur callosa, nullus deprehenditur pulsus, siquidem tunicae arteriarum callosæ, validissime resistentes, nullam admittunt ab impetu sanguinis expansionem, qua deficiente, nulla fit contractio, hinc nullus pulsus. Idem quoque contingere debet, si in aneurismate adulto, tunica musculosa longe ultra tonum est expansa: tunc etsi accidente extensione, nulla fit ob debilitas fibras musculares contractio, inde nullus pulsus. Sæpe etiam inventatum, non retinet eundem cum cute colorem, utpote qua sensim aut erosa, aut per distractionem attenuata, color conspicitur ruber. Unde patet partim signa supra memorata, non in omni deprehendi aneurismate vero, partim tale, cui signa hæc non possunt applicari, difficilimum esse cogniti; nisi forte causis prægressis ex ægro intellectis, suspicio de aneurismate nascatur, aut status tumoris prægressus ab ægrotto accurate observatus, ac postea medico aut chirurgo fideliter descriptus, præsentis aneurismatis fidem fecerit. Hæc tamen omnia tantummodo de aneurismate externo valent, quomodo enim, & per quænam signa internum patet, non est hujus loci inquirere.

§. X.

Causa aneurismatis veri proxima consistit in ipsa dilatatione arteriæ naturali majore: hac enim ablata, ipse morbus cessat. Scimus enim, omnem arteriam deprehendi in statu sano ad sensum conoideam: in aneurismate vero autem, ubi semper observatur tumor, a tali figura recedens, necessario dilatationem prægressam esse oportet. Nos quidem non latet, dari, qui existiment, aneurisma tam verum, quam spurium, ab arteriæ apertura provenire: differentia in eo posita, quod in spurio major sit apertura, ut sanguis in tunicam cellulosam effusus, ibi symptomata aneurismatis excitet spuri, dum in vero apertura sit minima, ut san-

E e e 3 guis

[d] Ex Galeni sententia dignoscuntur hujusmodi affectus, pulsibus, quos edunt arteriæ; sed & quum comprimuntur, tumor omnis delitescit, substantia, quæ ipsum efficit, in arterias recurrente, quam alibi ostendimus, tenuem esse, & flavum quemdam sanguinem, tenui & copioso spiritui permixtum; hic vero sanguis longe calidior est illo, qui in venis continetur, & vulnerato aneurismate erumpit, ut vix fisti possit.



guis nonnisi guttatum effluens, itinere videlicet interclusus, (imprimis in brachio, ubi arteria dura coercetur apaneurosi) insita indole grumum efficiat, qui brevi solidus factus, arteria adhaerens, novo sanguine semper accedente, sensim augeatur, hinc aneurisma verum producat [e]. Ad hoc respondemus: 1°. ex hisce sequi, aneurismata tantum in brachio obvia, ab hac causa provenire; dum in nulla alia corporis parte arteria ita munitur, ut hinc guttatum effluens sanguis itinere intercludatur; nullibi ergo erit ratio sufficiens, cur non æque, ac in aneurismate spurio, in cellulosum spatium ad instar gutterum profundat, quia semper gutta præcedens, ab insequente pellitur. 2°. Existimamus, quod si in arteria tanta esset apertura, ut sanguis in forma gutterum penetrare posset, cito satis ab impetu sanguinis arteriam continuo plenam, sub quilibet cordis systole distendentis, tam magnum oriretur ostium, ut sanguis tandem sine multa resistentia profundat, brevi spatio aneurisma præducet spurium. Hoc autem non adeo facile evenire, experientia docet 3°. Ex sola relaxatione, sive resolutione aponeurosis arteriam investientis, sine laesione vasis, aneurismata oriri posse vera, autores quidam sibi rite, & haud sine ratione persuadent [f]. 4°. Contrarium adparet ex eo, quod cel. Ruyisch aneurisma verum, ex pregressa venæ sectione, a dilatata arteria ortum, in brachio ipso observaverit. Ita enim scribit: ægrotus alias satis generosus, incisionem distulit, præferens levem tumoris compressionem, donec post diem unum atque alterum sua sponte erumperet dilatata arteria, utpote nuda, & nulla cute tecta [g]. Unde videmus, Ruyschium non potuisse falli, dum arteria adparente nuda, facile erat distinguerre, an tantum dilatata, an potius rupta fuerit.

§. X I.

Sententiam suam ulterius stabilire conatur, argumentis ab arteriæ strutura desumptis, ita scribens: Si enim caufarum efficacia, tunicae tantum exteriore arteriae, quæ cellulares sunt, laedantur, alteram, quæ muscularis, aut tendinea est, omnium robustissimam, dilatatam iri, credere absolum est: hanc, si potro etiam laedi supponas, tertia intima, quæ debilis est, impetu sanguinis sustinendo sola multum impar, brevi dissipabit. Quod si vero intimam tantum laedi statuatur, distractis alterius tunicae fibris muscularibus, verosimilius liquidum vitale in cellulosum tenui textum, quo illæ inter sevinciuntur, sese insinuans, ad cellulosas exteriore usque exsudabit. Hic notandum, autorem sibi vel quodammo-

do

[e] Vid. Quæstionem Med. Chirurg. an tutior faciliorque, cognita, detur aneurismatis Chirurgica curatio: proposita à Francisco Thierri Med. Pontimussano, Facult. Med. Parisienf. Baccalaur. 1750. Parisiis.

[f] Vid. Zach. Platner. Inst. Chirurg. §. 425.

[g] Observat. Anatom. Chir. II. p. 6.



do contradicere, vel tamen aliquid assumere, quod ex structura anatomica partis non fluit: In genere enim omnibus tunicis resistentia est tribuenda, ideoque unica tantum lœsa, decedit aliquid de resistentia totius vasis, faciliusque hiç dilatationem admittet. Dein autor supponit, solitus tantum exterioribus tunicis, muscularē minime dilatari, aut alio modo præternaturaliter adfici, sed potius sanguinis impetum facile sustinere, dum contra lœsa intima, quæ non majori ac exteriōres gaudet resistentia, muscularē fibras ab impetu solvi, & aperturam oriri: unde adpareret, eum mox tunicæ muscularē renitentiam adscribere sufficientem, mox illi talē deuegare. Dein tunicam intimam, quam omnes autores tenuem, membranaceam, & ipse debilem vocat, tanquam fat resistentem admittit, quia hac violata fstatuit, fibras muscularē impares esse, impetui sanguinis ferendo. Tunicis vero exterioribus, quæ et si cellulares, tamen sunt densæ, solidæ, & villo stipato constantes, [b] nullam concedit resistentiam, cum his lœsis, tunicam muscularē haud difficulter impetum, absque dilatatione aut ruptura afferit sustinere. Ex quibus patet, autorem sibi minus constare. Hisce accedunt observationes, quibus evincitur, tunicas tantam admittere extensionem, absque in sequente ruptura, ut vix chartæ tenuitatem superent. Sic cel. *Van Swieten* a contusione prægressa, aneurisma verum, in pectore dextro sub clavicula ortum, deprehendit, in cadavere enim arteriam subclaviam dextram in faccum ingentem dilatatam vidit, ita ut aneurismatis hujus membrana ad chartæ tenuitatem accederet, & per illam pellucidam sanguis contentus conspici posset, qui levi vulnere inficto, ad ingentem copiam erupit [i].

§. XI I.

Tandem addit ultimum argumentum: nimirum hac in re fuisse errori locum; quippe factitias, vel cellulares quascumque membranas, densas, duras, sanguine concreto, fluidove distentas, pro veris arteriæ tunicis promptum esse accipere, cum tamen diligentiori examine, in mediis his cellulosis, arteria fauciata, non dilatata reperiatur: Hæc autem a vero abesse, iterum observationes probant, nam et si in facco aneurismatico membranæ sœpe crassissimæ deprehendantur, dum sanguis grumosus cum tunica ipsius concrescit, extima tamen tunica non observatur fauciata: sic *Ruy-schius* describit aneurisma, quod ex innumerabilibus crassis, carnosis & fatis tenacibus, sibi in vicem impositis tunicis conflatum erat, inter quas sanguis copiosus & coagulatus deliteſcebat: quas tamen non pro tunicis arteriæ propriis venditat, sed statim adnectit, harum extimam, quæ proprie arteria aorta erat, straminis habuisse latitudinem [l]. Ex quibus omnibus abunde elucet, ar-

gumen-

[b] *Halleri* prim. lin. physiolog. §. XXVIII.

[i] Comment. in Aphor. Boerb. §. 176. p. 288.

[l] Observat. anat. Chirurg. XXXVIII.



gumenta a supra citato autore allata, nondum evincere, quod aneurisma verum s̄epius a ruptura vasis nascatur. Ideoque jure cum plerisque autoribus contendimus, dilatationem arteriæ præternaturalem, pro causa aneurismatis veri proxima habendam esse.

§. XIII.

Proegumenam aneurismatis veri causam, constituit minor arteriæ resistentia, quam in statu fano, sive a lësione tunicarum, sive ab aucto sanguinis impetu, oriunda. Arterias enim resistere, nemo erit, qui dubitat, immo majores arteriæ vix ulla vi aqua injecta possunt distendi. Hæc vero resistentia, dependet a firmitudine tunicarum, ex quibus fabrefactæ sunt, quas omnes renitentia gaudere, vix negari potest, proportione tamen majoris vel minoris soliditatis, hæc enim, tanquam proprietas, unicuique corpori communis, poterit etiam singulis arteriarum tunicis tribui. Tunicæ vero ita retinentes, partim impediunt, ne arteria ab injecto vi cordis sanguine dilatata, nimis expandatur, partim quoque, vi sua elastica se constringendo, in pristinum restituunt arteriam statum. Hinc si supponimus, sanguinem eodem ac in statu fano impetu, per arterias ferri, resistentiam vero, sive robur tunicarum, aut per nimiam distractionem, aut per solutionem unius alteriusve tunicæ, aut alio quocumque modo, esse imminutam, tunc in tali casu necessario resistentia tanto minor erit, quanto nunc robur tunicarum cedit firmitudini earum in statu naturali. Quum autem ex superioribus pateat, quod per resistentiam arteriæ nimia ejus dilatatio prohibeat, sine dubio heic, multo minori, quam in statu fano, instructa resistentia, præternaturalem quoque admettit dilatationem, & cum iniminito robore tunicarum, elasticitati aliquid decedat, non ad naturalem, sicut in statu fano, contrahitur amplitudinem, hinc extensa manebit. Et quia aneurisma verum, consistit in expansione arteriæ præternaturali, per §. X. sequitur imminutam arteriæ per lësionem tunicarum resistentiam, tanquam causam proegumenam aneurismatis esse considerandam. Arteriæ resistentia vero, non solum minuitur a debilitatis, aut quocumque modo lësis tunicis, sed & ab aucto multum sanguinis impetu. Axioma enim est, capacitatem vasis nasci in composita ratione, ex facultatibus distendentibus directis, & facultatibus contrahentibus inversis. Quando impetus distendens duplo major sit, & vas duplo magis resistit, diameter non immutabitur: si vero impetus augeatur, & resistentia maneat eadém, necessario major excitatatur canalis dilatatio: fit proin talis impetus, aut diutius duret, ita ut arteria sensim ultra tonum expansa, non amplius contrahatur, aut tantus sit, ut vas statim nimis extensum, & in tumorem elatum adpareat exsurget aneurisma verum. Unde patet, cur s̄epe ex morbis acutis;

au-



aⁿgmento velocitatis, & copia humorum in plethorics, aneurismata obseruentur [m].

§. X I V.

Explicandum sequitur, quomodo insultus hemiplecticus, efficiendo aut nimiam tunicarum debilitationem, aut intendendo impetum sanguinis potuerit, tanquam causa procatarctica interna, aneurisma verum excitare. Nulli enim dubitamus, huic tanquam cause prægressæ aneurisma, ut effectum adscribere; siquidem æger ante hunc insultum pancratice vivens, nunquam ne minimum quidem incommodi in hoc loco percepit, & statim postea, sine alia causa violenta externa prægressa, quantum ex ipso ægro, ejusque uxore, accurata sciscitatione rescire potui, tumor adparuit, adeo ut nil obstare videatur, quominus hic tumor, pro effectu & sobole, hemiplegiæ convulsivæ prægressæ, habeatur. Nisi quis forte statuere velit, eodem fere tempore, ex suis causis, vel iisdem, vel distinctis, utramque ægritudinem natam esse.

§. X V.

Antequam vero possit determinari, qua ratione hemiplegia potuerit producere aneurisma, paucis præmittenda hujus morbi historia, quo dein ex cognita ejus natura, melius haec genesis intelligatur. Hemiplegia, vel prægressam apoplexiā sequens, vel sola accedens, est paralysia unius tantum lateris, ita ut in fano latere varii interdum motus convulsivi, orisque non raro canina conspiciatur tortura [n]. Causa proxima hujus ægritudinis, secundum plerosque autores recentiores, consistit in impedito, aut plane abolito influxu liquidi nervi, in latus ægrum, sive a compressione nervorum, erosione, aut alia quacumque laesione proveniente; dum e contrario spiritus animales impetuosi in sanum ferantur latus, quod ex motibus convulsivisclare cognosci potest. An vero causa in latere affecto, an in opposito fano lateat, nolumus hic exponere, remittimus potius B. L. ad observationes Cl. Morgagni [o], & ad experimenta Cl. Valsalva [p].

§. X VI.

Cum itaque observationes doceant, latus sanum saepe motibus convulsivis vexari, tales etiam in nostro ægroto adparuerint, nemo facile dubita-

[m] Van Swiet. comment. loco supra citat. p. 292.

[n] Frid. Hoffm. med. syst. rat. p. V. C. I. §. IX.

[o] Adversar. obs. VI. p. 108. & seq.

[p] De Aure humana p. 85, Cap. V.



bitabit, iis vasa fuisse debilitata, convulsio enim dicitur, violenta, invita atque alterne repetens musculi contractio & relaxatio; itaque in musculo contracto, omnes fibræ liquido nerveo turgent; idque eo magis, quo validior contractio fuerit, fibræ hinc ita turgidae, majus occupabunt spatium, vasa sic sanguineha comprimentes, cruentem ex illis expellent, quod manifestum ex eo, quia musculus contractus pallescit, & semper eo pallidior fit, quo magis durus & contractus observatur. Arteriae hinc compressæ, a sanguine continua vi cordis pulso, quam maxime urguntur, ob compressionem autem non possunt dilatata omnem recipere cruentem, moreque solito ad venas transmittere, dum ultimi arteriarum fines pressi, subtiliori tantum sanguinis parti transitum concedunt, hinc arteriae sensim sensimque ab aggregato cruento turgent; immo si contractio praesertim valentior, protrahatur diutius, ad rupturam usque distenduntur. Id quod clare in epilepticis observare licet, qui saepe saepius musculos a paroxysmo prægresso, nigredine obductos ostendunt, dum sc. a laesis vasorum sanguiferis, liquidum vitale fuit profusum. In convulsione clonica quidem, musculi non admodum diu contracti manent, sed mox iterum relaxantur, hinc etiam sanguis ante non libere ab arteria compressa exceptus, nunc in eam, a compressione liberatam, majori copia ac vi irruit, & quam vehementissime, cruento sive crassiore sanguinis parte jam repletam, distendit, ut tandem a repetitis hujusmodi extensionibus multum debilitata, minus resistat. Per extensionem autem nimiam, & saepius repetitam, vasorum debilitationem induci, demonstratur ex eo, quod debilitas dicatur; adunatio partium minimarum cum nisu in cohaesionem tam parvo, ut vel levi motu solvi queat [q]. Per extensionem itaque talem; partibus plus justo a se invicem remotis, minuuntur puncta contactus, & hinc cohesio, quæ semper eo major, quo plura contactus puncta; in imminuta autem cohaesione consistit vasorum debilitas; ergo a nimia expansione vasa debilitari necesse est. q. e. d. Vasa vero debilitata minus resistunt, & cum minor arteriae renitentia, sit causa aneurismatis proegumenta, per §. XIII. sequitur, insultum hemiplecticum, efficiendo arteriae debilitationem, pro causa procatareтика interna esse agnoscendum. Nobiscum consentiunt quoque observationes, quibus probatur: arterias post validos editos nixus, pondera ultra vires sublata, in aneurismaticos degenerasse faccos [r]. Tale exemplum exstat in Historia Acad. Reg. Scient. Hominis nempe in venatu subitissime caput in dextram partem flectentis, quod nonnisi magna cum difficultate potuit reducere, is autem ab illo momento languit semper, & respiratione & deglutitione multum impeditus, in cadavere ingens aneurisma in subclavia dextra ad-

pa-

[q] Aphor. Boerb. §. 24.

[r] Van Swieten comm. p. 288.



paruit [s]. Si quis autem à me quærat, cur potius in hac arteria, quam in alia, cui eadem causæ fuerunt adjectæ, aneurisma nostrum surrexit? Huic respondebo, id quidem non contigisse sine ratione sufficiente, sed hanc tamen adhuc in obscuro esse, ut aliæ plures morborum causæ, adhuc omnem perspicaciam hominum fugiunt; saepè videmus, inter duos homines ejusdem temperamenti, iisdem admissis causis, unum laborare phrenitide, alterum pleuritide, ubi de causa interrogati, hanc, ne nō dixisse videamus, tribuimus internæ cūdām prædispositioni, licet minus apertæ.

§. XVII.

Absoluta aneurismatis nostri ætiologia, nunc ad symptomatologiam, sive explicationem phænomenorum, in ægro nostro presentium, progedimur: ubi primo quidem occurrit figura tumoris, ejusque pulsatio: tumor, ut ex historia morbi patet, constat tribus tuberculis, per spatiæ interposita à se distinctis: ratio videtur consistere, in læsione arteriæ diversis in locis facta, dum tunicæ, qua parte tumores existunt, debilitatæ, sive læsæ, extensionem admisere præternaturalem, at per reliquum tractum canalis satis resistentes, intumescere renuant. Alias nulla est ratio sufficiens, cur non totum vas per longitudinem suam in tumorem elatum est. Omnes autem ad rotundam accedere figuram, mirum non est, quia arteria in statu naturali conoidea, nunc nimis expansa, necessario hujusmodi figuræ intumescentias formare debet. Quare autem unum tuberculum ab altero, ratione magnitudinis, atque situs differat, ex §. VII. colligi posse videtur. Pulsus eodem ac in statu naturali modo, nascitur, quando enim in arterias semper plenas, à vi cordis sanguis impellitur, dilatatione opus est, ut hæc portio in arterias recipi possit, arteriæ vero tanquam canales elæstici se restituentes, sanguinem acceptum propellunt, qui motus alterni vocantur pulsus, qualis etiam in arteria aneurismatica accidere solet. Invalescit autem pulsus accidente pressione, quia sanguis adveniens, non potest in canalem compressum suscipi, unde nascitur cordi, tanquam causæ efficienti dilatationis arteriarum, majori resistentia; cum vero actio semper sit æqualis reactioni, cor infurgit, & majori vi resistentiam superare conatur; hinc etiam arteriam magis dilatat; & quia eo validior constrictio arteriæ, quo major dilatatio, ni ultra tonum fiat, vehementius quoque contrahetur, alterna vero contractio & dilatatio arteriæ, est ipse pulsus: hinc manifestum, cur presso tumore pulsus graviter invalescat. Spatia interjecta tumoribus æque pulsant, quia enim omnia tubercula in eodem ramo occurunt, quod ex ipsis spatiis pulsantibus cognoscitur, quoque ex eadem ratione ac ipsi tumores, pulsus edent.

F f f f 2

§. XVIII.

[s] Acad. Roy. des Sciences, ann. 1700. p. 59.



§. XVIII.

Ubi vero tumor unus alterve, aut omnes simul, fortiori, aut diutius durante pressione afficiuntur, accedere solet dolor, cum anxietate, & imminentे lipothymia: nervi enim plurimi, imprimis ramus quinti paris cervicalium, conjunctus cum ramo sexti paris eorumdem, ad musculi pectoralis superficiem abeentes [t], ad modum omnium fere nervorum in corpore nostro, decursum vasorum sequentur, hinc si tumor aneurismaticus prematur, nervi adjacentes quoque compressi, rupturam intentabunt; cum vero per dispositionem nervi, quæ dissolutionem minitatur, fiat doloris idea [u], sequitur à compressione tumoris ortum iri dolorem. Quia autem simul per compressionem, sanguis in sacco latens, retropulsus de novo accedenti obstaculo est, non poterit truncus rami, in quo aneurisma sedet, se evacuare, non evacuato trunco, qui per §. VII. una ex intercostalibus inferioribus est, nascetur resistentia sanguini, ex aorta in intercostalem recipiendo; hinc etiam turbatur & aliquomodo impeditur sanguinis motus per aortam; turbato motu in aorta, impeditur aliqua ex parte liquidi vitalis e corde egressus, unde anxietas [v]. Quæ si diutius adplicata maneant, aucta semper resistentia, cor non amplius poterit à sanguine liberari, hinc minor ejus quantitas in vasa coronaria veniet, sive tunc immediate à corde, sive ab aorta impleantur, inde motus cordis debilitatur, quia dependet à sufficiente liquidi vitalis, & animalis in fibras cordis influentis copia; inde igitur lipothymia oritur, quæ secundum *Frid. Hoffm.* consistit in debilitate cordis motu [a]. Hæc eo citius accedunt, si simul in opposita parte dorsi, & supra tumores manus injiciatur, quia arteriae intercostales inferiores, ad curvaturam costarum ingrediuntur, qui locus circiter tumoris est oppositus, poterunt ibi compressionem admittere, quod si fiat forte in trunco, in cuius ramo aneurisma est, eo major nascetur resistentia, hinc eo gravius incommodum.

§. XIX.

Quando æger supinus, aut in latere affecto decumbit, molestiæ percipiunt sensum: plurima enim vascula cutanea comprimuntur, hinc impeditur sanguinis transitus per illa, augetur vero motus per vasa adjacentia libera, semper enim velocitas sanguinis increvit; si per vasa pauciora, eadem quantitas eodem temporis spatio trajici debet. Sic etiam per saccum aneurismaticum velocior feretur motu, hinc magis distentus, adficiet aliquomodo nervos adjacentes, & sensum molestiæ excitabit. Decubitus in

latere

[t] Winslov. Anatom. p. III. §. 216.

[u] Aph. Boerb. §. 220.

[v] L. cit. §. 631.

[a] Med. syst. ration. P. V. cap. IX.



latere sano tolerabilius, quia vascula cutanea, eti compresa, non adeo arcta gaudent communicatione cum vasculis partis affectae, unde non tantus contingere potest effectus.

§. XX.

Cum vero æger, aut celeriter movetur, aut per acclivia ascendit, cordis palpitationem & dyspnoeam patitur; per motum enim corporis sanguinis circulationem intendi, nemo est, qui ignorat, imo quo vehementius ille, eo intensior haec; ideoque sub celeri motu, vel ascensu per acclivia idem continget, sanguisque sicut per omnia vasa, ita etiam per aneurisma velocius agetur, tanta vero quantitas, quam saccus capere potest, non adeo celeriter per fines arteriarum transibit, inde oritur resistentia notabilis, contra quam cor insurgit, violenterque se contrahit, quam si superare non potest, palpitat: palpitatio enim dicitur, violenta cordis contractio, una cum magna resistentia crux à corde pulsus [b]. Cum vero & per pulmones celerior sit transitus, velocius quoque thoracem dilatabit, non sine aliqua difficultate, ob tumorem pectori insidentem, hinc difficultas respirationis, quæ dyspnoea vocatur.

§. XXI.

Capitis vertigo, linguae balbuties, & habitus corporis cachecticus, non videntur symptomata aneurismatis nostri, sed potius effectus ab hemiplegia relieti. Observationes enim testantur, fere semper quedam ab insultu tali praegresso remanere incommoda, quæ pro diversa hujus illiusve nervi laesione, varias turbare solent functiones. Cachectica vero diathesis originem trahere videtur, ab aliquali vasorum debilitatione, oriunda ex nimia quiete, & alimentis ac potulentis forte minus bonæ notæ. Vir enim rusticus, antea assiduis laboribus deditus, nunc a duobus annis ob incommodum ex labore perceptum, otiosus vixit, hiic magnam sine dubio corpori induxit debilitatem. Ipse medicorum parens Hipp. non ignoravit, quiete nimia corpus debilitari, dicens: otium humectat, & corpus reddit debile, labor siccatur, & corpus robustum efficit [c]. Idem Celsus confirmat his verbis: ignavia corpus hebetat, labor firmat, illa maturam senectutem, hic longam adolescentiam reddit [d]. Nimia autem atonia partium vasculosarum & fibrosarum, est causa proxima cachexiae, unde adparet ratio habitus cachectici in ægroto nostro præsentis.

F f f f 3

§. XXII.

[b] Boerb. institut. §. 826.

[c] De viuit ration. Sanor. L. II. cap. X.

[d] De Med. L. I. in præfat.



Expositis hactenus tumoris nostri causis, & symptomatibus, ordo requirit, ut ad prognosin accedamus. In genere quidem aneurisma verum, recens, idoneo loco situm, haud multum alit periculi, & hinc Th. Bartholini prognosis non adeo stricte accipienda, apud quem nimurum legitur, paucos laetum atque felicem eventum aneurismatis spectasse. [e] At in ægrotato nostro, quia tumor per duos jam annos durat, ipseque cachexia labem præ se fert, aneurisma periculo vacare minime credimus, metuendum potius existimamus, ne sanguis jam depravatus & cachecticus, in sacco tantæ magnitudinis fere quietcens, aut saltem minus velociter motus, majorem contrahat corruptionem, & ita sensim tunicas arteriarum erodendo, sibi effluxum in spatio cellulosa paret, ac demum gangrenam & sphacelum post se trahat; aut simul exedendo cutim, hemorrhagiam cito & forte inopinato lethalem excitet. Hoc jam alias contigisse experientia evincit: ita enim miles quidam, qui per sex septimanas aneurisma in arteria subclavia dextra gesferat, erofo sacco, præter exspectationem, sanguine fluenti ad instar per os erumpente, spatio unius minutus periit. [f] Dein si non debita adhiberetur medela, metus esset, ne tumor paulatim mole auctus, tantam sanguinis copiam caperet, ut ab adveniente non amplius propulsus, venis minime traderetur, hinc sanguine tanta in copia stagnante, circulatorius suffocaretur motus; si enim per venas non sufficiens copia sanguinis ad cor redit, quæ ad contractionem stimuletur, motus ejus multum debilitatur, immo tandem cum vita cessat; sicut hoc manifeste observari potest in illis, qui per enormes inanitiones plurimum sanguinis amiserent. Has ob rationes quantocuyus debita instituenda curatio, & quidem, quia tumoris latera nondum adparent callosa, quod ex pulsu tam manifesto clare patet, autumarem, per compressionem paulatinam, idoneo instrumento ac ligatura hic factam, posse effici, ut foccus ab impetu sanguinis injecti non amplius expansus, nullum capiat incrementum. Nolle tam aliter asserere, hac ratione istud aneurisma radicaliter sanari posse. In sacco enim qui per tantum temporis spatium jam duravit, nullum est dubium, quin plurimus sanguis in grumos concreverit. Videmus sanguinem nostrum adeo in concretionem prouum, statim ac quiescit, in solidam coire massam, ejusque proin fluiditatem tantum motui perpetuo deberi. In aneurismate igitur nostro, ubi semper portio sanguinis fere quiescit, aut tardius tamen movetur, necessario quoque sanguis grumosus erit redditus. Quippe in aneurismatibus majoribus dissectis plerumque sanguis inventur polyposus: sic Cl. Lancifus aortæ aneurismate cultro anatomico subiecto, deprehendit internam ejus cavitatem, adeo plenam grumoso sanguine,

[e] Epist. Med. Cent. III. Ep. 53.

[f] Acad. Roy. des Sciences. ann. 1733. p. 153.



guine, ut nil amplius capere posse videretur [g]. Per compressionem igitur ulterior tumoris extensio prohibetur, at grumi sanguinis non solum non solvuntur, quin potius compinguntur; unde sequitur, non facile possibile esse curam radicalem ope compressionis institutam, ceu quæ in aneurismate tantum recenti, & parvo locum habet. Si itaque ægratus cupiat, ut in totum restituatur, tenendum est, hanc curationem non nisi per adhibitam operationem obtineri posse. Hæc autem consistit in excisione tumoris, quæ in nostro casu forte haud adeo periculosa foret, cum neque majores trunci vasorum, ut supra memoratum est, neque etiam integri nervorum fasciculi, musculum pectorale majorem adeant, sed tantum surculi ex 3°. 4°. 5°. & 6°. pari cervicalium, nec non quidam ex dorsalibus [h]. Itaque non erit magnus metus hæmorrhagiæ gravioris, aut aliorum malorum, hanc operationem alias consequentium. Tum quia arteriæ plures hoc in loco subeunt anastomoses, minus erimus solliciti de gangræna, aut morte musculi, operationem secutura, dum ablato trunculo quodam, sufficiens tamen ad conservationem musculi, sanguinis copia per cæteros ramulos advehetur. Unde crederem, non tantum periculi cum hac operatione conjunctum fore, quantum cum ea, quæ sepius in aneurismate brachiali suscipitur. Ubi cum non certi simus, utrum arteria brachialis supra locum incidentum, in duos jam divisa fuerit ramos, nec ne, vel an rami ex superiori hujus arteriæ parte emissi, toti brachio irrigando sufficient, semper de morte membra, forte operationem, etsi rite administratam, secutura, ægrum monere oportet; quod hoc in loco non tam facile evenire posse videtur: Qua ratione vero, & quibus cum cautelis hæc operatio foret instituenda, nunc pro viribus breviter docebo.

§. XXXI.

Curatio dividenda videtur in palliativam & radicalem. Prior ope compressionis cum idoneis instrumentis faciendæ, instituitur, quæ utique ad prohibendum ulterius incrementum, valet, sed ad radicalem illius curationem vix sufficere potest, ut superius §. XXII. indicatum est. Instrumenta autem aneurismati comprimendo idonea, varia hinc inde in autoribus chirurgicis descripta, existant, sed tantum in brachio adplicari consueta [i]. Tale deprædicat *Bordelotius* medicus regius, quo se intra anni spatum aneurisma brachiale, quod jam magnitudinem ovi junioris gallinæ attigerat, curasse jactat [l]. Cum vero hæc tantum in brachio adhiberi possint, videamus, quale tumoris nostro in pectore sito, conveniat, nihil curantes, quod quidam compressionem aspernati, existimaverint,

[g] De mortibus subitan. observ. v. p. 303.

[h] *Winzl.* Anatom. p. III. §. 190. & seq.[i] *Heift.* chir. tab. XI. fig. 8. 9.[l] *Blegn.* zodiac. med. gall. ann. 1681. M. Mart.

verint, motum sanguinis compresso tumore suffocari, & latera vasis concrescere. Sed non simul & semel aneurisma quam vehementissime pre mendum est, potius ita, ut impetus quidem minuatur, sed non in totum tollatur. Immo et si tandem liquidi vitalis motus penitus impediatur, quid interest; nonne idem contingit operatione administrata, ubi vase destruncto, sanguini quoque transitus denegatur, æque ac si latera concrevissent, tamen hic fit sine multo dolore, ibi vero cum maximo interdum incommodo. Sequens autem fascia non adeo inepta videtur, aneurismati nostro adplicanda: Lorus sc. ex corio ovillo, aut caprillo, vel paño xylico, *Barchet*, aut ex habena linea, *Zwirnband*, dicta, confectus, ne cuti immediate admotus pruritum excitet, tres circiter pollices latus, & tam longus, ut circumferentiam thoracis æquat, vel superet, parari potest, cui insuantur duæ laminæ, ejusdem ac lorus materiæ, si ex corio, aut panno xylico confectus fuerit, figura discum five orbem æmulantes, tanti diametri, ut possint omnes simul tumores comprimere, spatum vero duabus laminis interjectum, adimpleatur fetis equinis admodum firmiter, ut pilam ad comprimentum fatis valenti referat, aut setarum loco lamina quædam plumbea æqualis ambitus, corio vel panno interponatur, ad resistendum tanto valentior. Dein fascia hæc ita corpori aptetur, ut orbe vel pila comprimente immediate tumoribus impoſita, alterum lori extremum, sub axilla sinistra in dorsum detur, alterum super humerum dextrum scandens, priori occurrat, ac debita ratione uniatur. Nam si sub utraque tantum procedens axilla, thoracem ambiret, non posset adeo firmari, quin constricto thorace relaxata, paulatim delaberetur. Aut quod mihi antecellere videtur, heic quam commodissime in usum trahi posset, fascia illa, ab *Heifero mantile* cum *scapulari* vocata, sic adplicanda: complicatum mantile sub utraque axilla extensem rite constringatur, & ne ad inferiora descendat, fascia scapulari retineatur, ita formata, ut in medio foramen caput excipiat, supra pectus æque ac per dorsum extensa, firmiter cum mantili possit conjungi, hujusque delapsus prohiberi. Superdata autem prius aneurismati charta bibula masticata, & ex alcohole vini expressa, imponantur panni multiplices ac gradati, interque hos pannos, nummus, vel aliud quid durum, conjiciatur, & tunc mantile superdetur. Quæcumque autem adhibeatur fascia, tantum erit adstringenda, quoad sine majore incommodo æger ferre possit: firmiores enim adstrictionem prohibit molestia fere intolerabilis statim succedens. §. XVIII. Fascia autem adplicata semel aut bis de die iterum constringenda, & ad plures hebdomadas, vel etiam menes gerenda est, tandem vero effectus, an tumor imminutus fuerit, nec ne, rite perpendendus. Quod si contrarium adpareat, eo citius ad curationem radicalem, sive operationem properandum, de qua nunc dicendum superest.

§. XXIV.



Aneurismatis operatio triplici instituitur ratione. Quidam torculari rite adhibito, scalpello arteriam secundum longitudinem incidentes, materiam omnem spongiae aut specilli ope extergunt, qua expurgata, torcular relaxando, in aperturam arteriae inquirunt, eique frustulum vitrioli viridis goffypio involutum, aut linamentum liquore styptico *Weberi* imbutum, immittunt, & superinje^ctis aliquot spleniolis, vulnus percurant. Alii *Purmannum* secuti, operationem instituunt hoc modo; injecto sc. conveniente ratione torculari, mox cutim summam solam, sine laesione aneurismatis, dissecant, dehinc supra & infra tumorem posita arteriae pars, diligenter ab adjacentibus liberata vasis, uncinuli aut hamuli ope ita elevatur, ut possit filo deligari utrinque arteria, tumoreque medio inter utramque vincitur scalpello exsciso, vulnus sanatur. Alii, qui *Anellii* methodo delectantur, iterum aliter se gerunt: nimirum torcular primo applicatur, depressoque dein ex-tumore omni sanguine versus arteriae finem, cutis suprema secundum longitudinem, illæso manent aneurismate, inciditur, tum arteria loco supra tumorem proximo, per trajectum filum duplex, semel aut bis pro re nata constringitur, donec post torcular relaxatum, nil in tumorem veniat, quo facto deligari, & debito modo vulnus foveri debet. Dispiciendum igitur, quænam methodus aneurismati nostro possit applicari. Prima quidem, et si in aneurismate brachiali summo cum successu possit adhiberi, saepeque haud sine optato eventu in usum fuerit vocata, tamen in nostro tumore non æque valere videtur. Quia enim arteria brachiali, ope fasciæ torcularis rite applicata, compressa, prohiberi potest, ne ulla sanguinis gutta in aneurisma fluere queat, sine omni metu tumorem juxta longitudinem incidere licet; id quod in loco, quem tumor noster occupat, non æque tentare convenient. Nam et si truncus, sive ramus aneurismaticus, torcularis ope possit aliquomodo comprimi, tamen nondum tumorem dissecare licebit; nam quia arteriae intercostales inferiores, cum superioribus & mammaryis inosculantur, facile surculus talis, cum ramo aneuristmatico conjunctus, & compressioni ineptus, sanguinem continuo plorans, operationem multum turbaret. Infuper cauteria potentialia, & styptica hac in methodo usitata, minus arident, dum per ligaturam arteriae convenientem, semper certior spes haurienda non amplius fecuturæ haemorrhagiae, quam ab applicatis stypticis, vel cauteris. Secunda methodus a Cl. *Purmanno* saepius adhibita, magis convenientis videtur. Quia enim arteria ab adjacentibus vasis liberata hamuli beneficio attollitur, statim adparebunt ramuli, qui forte hic anastomoses subeunt, quibus tum aut ligatura, aut alio convenienti modo prospici potest. Etiam experimento autor fidem facit, afferens, se hoc modo maxima extirpasse aneurismata, vulnusque intra unicum mensem curasse. *Anellii* autem methodus hic minime locum habet, in cuius administratione requiritur, ut sanguis ex-

Tom. II.

G g g

aneu-



aneurismate exprimatur, quod in tumore nostro minime fieri potest, dum tanta copia sanguinis, in grumos jam concreta, non facile poterit exprimi, & versus arteriae finem depelli, hinc minime quadrare videtur. Exponendum restat, quid igitur ante operationem, quid in operatione, & post operationem agendum veniat, Ante eam æger debito præparandus modo; id quod fieri solet per conveniens ecoproticum, aliquot ante operationem diebus propinatum, ut intestinis a faburra humorum vitiosorum liberatis, non adeo facile operationi ullum accedat incommodum & multa avertantur mala. Venæctionem, alioqui etiam præmittere solitam, hic non suaderem, dum, nullis adparentibus plethorae signis, potius cachexia præsto est, cui sanguinis missio parum idonea, immo summe nociva foret. Potius adhibeat remedia cachexie opposita, quæ sanguinem, humoresque corruptos emendare valeant. Simul capiat, imprimis aliquot ante operationem diebus, cibos eupeptos, eucylos, minime acres, aut stimulantes, potumque penitus non spirituosum, sed magis temperantem; ne per cibum aut potum, motu humorum intensiore reddito, metus sit, inflammationis, aut febris vehementioris, operationem insecurare. In ipsa operatione ægrotus in sella quadam inclinata positus adversa luce, à ministris ita firmandus est, ut neque operatorem turbare, neque sibi ipsi damnum inferre possit. Torcularis adplicatio hic minus commoda videtur: forte enim ramus statim ac superficiem musculi attingit, aneurismaticus est factus, id quod concluditur ex eo, quia ad latus tuberculi 2i. nulla percipitur pulsatio, & hinc torcular adpositum, vix ullum ederet effectum. Cutis igitur juxta longitudinem scalpello incidatur, cavendo, ne simul aneurismati inferatur læsio; cute aperta, plerique anxie arteriam à nervo forte adjacente, separare solent; utraque vero sine gravioribus symptomatibus ligari posse, fideles evincunt historiæ [m]. Ex tribus nempe varii habitus, ætatisque viris, quibus cum brachii aneurisma curaretur, nervi strictissime absque splenio ullo, cum arteria ligati sunt, nullus alia symptomata passus est, quam quæ operationi vulgo superveniunt, imo trium uni membrum læsum postea robustius accessit; fatendum tamen, quo tempore nervus constringebatur, doloris vim majorem homines persensisse, motum & sensum magis fuisse imminutos, at hæc brevi evanescabant, & ita ad sanitatem perducti sunt, ut neque celerius, neque melius, non ligato nervo, perduci potuisse viderentur. Hinc existimarem, si separatio nervi ab arteria plurimum facessat negotii, utrumque sine multa hæsitatione ligandum esse: arteria itaque a nervo, & vasis adjacentibus, si commode fieri possit, separata, hamulo elevetur, tum acus quædam incurva, retusa, dupli filo cerato instructa, subter arteriam trajiciatur, qualenè Cl. Petitus ex argento constructam delineat, qua simul arteria ab adjacentibus vasis liberari potest. [n] Dein supra & infra tumorem, lina trajecta valide constringantur, mi-

[m] Bononiens. Scient. Institut. comm. T. II. part. II. 1746.

[n] Zach. Platner, Institut. Chirurg. Tom. III. fig. XI.



nuto semper spleniolo, aut linteolo, nodo subjecto, ne arteria discindatur; ligata utrinque arteria, tumor medius excindatur, quo facto, vulnus spongia vino aut alcohol madente extergatur, tunc spleniola balsamo cui-dam vulnerario imbuta, arteriae ligate adponantur; super haec injiciantur linamenta, & panni multiplices gradati, quæ tandem, si lubet, emplastro quadam possunt contegi, & fascia mantilis cum scapulari vocata, modo su-pra jam descripto, applicari.

Post operationem feliciter institutam, æger instar vulnerati se gerere debet, studere quieti, cibis uti eupetis, minime fœculentis, ut sunt juf-cula varii generis, olera, ac carnes animalium juniorum domesticorum: tamen præsente inflammatione satius est à carnibus abstinere. Pro potu ad-hibeat ptisanam vulgarem, interponendo interdum, haustum decocti cujus-dam convenientis vulnerarii. Fascia, nisi aliud quid requirat, ante diem tertium non est resolvenda, quod ubi fit, linamenta vulneri inhærentia non vi erunt diducenda, nisi sponte sequantur, alioquin posset, arteria la-cerata, hæmorrhagia succedere. Fila nunquam præcidenda, sed, donec sponte excidant, relinquenda. Denique convenienti ratione vulnus perfa-nandum. Inflammatio, febris, aliaque mala forte supervenientia, remediiis cuique horum aptis, oppugnanda.

T A N T U M.

G g g 2

TABULA



TABULA DISPUTATIONUM

QUE SECUNDO TOMO CONTINENTUR.

X X X.

- B**URCHARDI DAVID MAUCHARTI disp. de *hypopyo* Tubing. 1742. Quas promisimus de oculorum morbis academicas disputationes, eas nunc exhibemus. In hac, quæ nunc enumeratur, homonymia in primis hypopyi, onychis & diversissimi pterygi excutitur. Puris in oculo effusi signa, curatio per paracentesin, fomenta, concussionem, cum singularum meritum, & Justi concusso a W O O L H O U S I O reperita memorantur. Denique perforatio cornea describitur, qua pus emittitur, sive ea Woolhoufiano proprio instrumento sive lanceola fiat, aut acu cataractaria, qua anctor in curatione, quam ultimo loco describit, feliciter usus est. pag. I.
- XXXI.** De *empyeli oculi* ibid. eod. ann. Hunc morbum ab hypopyo I L L. M A U C H A R T U S distinguit, quod pone iridem pus habeat: signa ejus exponit, operationem, instrumenta, perforandi oculi modum & cautelas enarrat. 33
- XXXII.** BERNHARDI ALBINI de *catarrhaæta* disp. jam ann. 1695 proposita, antiquiores utique de natura hujus mali opiniones habet, neque sedem in lente crystallina admittit, de qua jam tunc conjecturæ pasim extabant. Verum candide omnino spem a medicamentis abjicit, & duas acus describit, quarum prior in forcipem firmata est, ut catarrhaætam comprehendere & educere possit, altera duplex facta, ut acuta & fulcata acu sclerotica perforetur, obtusa vero lens ipsa deprimitur. 47
- XXXIII.** J. HENRICUS FREYTAG Argentor. 1721. de *catarrhaæta* disputavit, & catarrhaætas membranaceas nonnullis exemplis defendit, quæ, cum minus nota sint, merentur publicari. Contendit autem patrem suum, ocularium chirurgum, ejusmodi catarrhaætas membranaceas non infrequenter acu hamata prehensas de oculo extraxisse. 63
- XXXIV.** JOACH. FRIDER. HENCKEL de *catarrhaæta crystallina vera* Francf. ad Via. 1744. describit administrationem Ferrenianam, qua posterior facies capsule lentis crystallinæ aperitur, in oculis humanis a se repetitam. 85
- XXXV.** J. G O D. G U N Z I I disp. de *suffusionis natura & sede* Lips. 1750. habet anatomen oculi, quantum ad hanc chirurgiam sufficit, deinde de catarrhaætarum differentia inquirit, & de membranaceis in primis severius dubitat: in ipsa lente eas separat, quæ in lenti membrana, & quæ in substantia resident. Ægre admittit capsule lenti crystallinæ opacitatem. Curationem refutat, in qua vel anterior pars capsule incidunt, vel una cum lente capsula tota deprimitur. Deinde subtiliter acus figuram locumque vel incidendæ scleroticae membranæ vel capsule ipsius definit. 105
- XXXVI.** ANTONII L B MOINE *Questio medica* in ea verba ergo deprimente catarrhaæta non expellanda naturatio Parisiis ann. 1728. proposita, prater argumenta ad defendendam eam sententiam, utilia etiam, si firma sunt, testimonia habet incipientis catarrhaæta usu millepedum sanatae. 149
- XXXVII.** PETRI LEHOC Ergo oculi punctio catarrhaætam præcavet Paris. 1740. Catarrhaætas membranæ defenit, & earum ex humore aqueo originem occupari credit, si paracentesi cornea is humor emittatur. 157
- XXXVIII.** J. BAPTISTÆ THURAND Ergo in catarrhaæta potior lenti crystallinæ extractio per incisionem in cornea quam depresso per acum Paris 1752. Novam artem

